23

J. J.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MEDICA, DE

CORTICE WINTERANO,

Quam

DIVINIS AUSPICIIS,

RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO VVILHELMO,

S.R.I.COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, & reſpectivè SUPREMO CHORI - EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFFURTENSIS PRO - PRINCIPE &c. &c.

IN PERANTIQVA ELECTORALI HIERANA,

AMPLISSIMA FACULTATE MEDICA CONSENTIENTE,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS rite impetrandis,

Placidæ Eruditorum Diquiſitioni offert

JOHANNES RUDOLPHUS Siltemann/

Leucopetr. Miſnic.

D. XXIX. DECEMBR. ANNO MDCCXI.

IN AUDITORIO MAJORI. HORIS SOLITIS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.

48262|P

A. Di

PRÆFAMEN.

QVando primis Medicinæ temporibus ægri pariter ac medici de remediorum penuria conqueſti ſunt, infeliciores ſane nobis fuerunt, quippe qui omnino de copia ex triplici regno deſumendorum pharmacorum ſummo cum jure gloriamur. Nam præter ea, quorum vires per crebriorem experientiam explorarunt majores noſtri, nova & ignota hactenus accedunt quotidie, partim caſu, partim non pœnitenda rerum naturalium ſcrutatorum induſtria inventa & detecta. Cumque à nonnullis majori in pretio habeantur exotica, atque indigenis præferantur, mirum non eſt, ſi quoque paulo curatius obſerventur ea, quæ ex Aſia, Africa & America afferuntur, præ iis, quibus Europa gaudet Mineralibus, Vegetabilibus ac Animalibus ad reſtituendam ſanitatem per varia morborum genera deperditam proficuis. Hinc non ita pridem de Serpentaria Virginiana, *& paucis abhinc annis de* Rad. Ipecacuanha, Cortice Peruviano, Cochinille, Balſamo Peruviano,

Caryophyllis Aromaticis & *ſimilibus exoticis certiores facti ſumus, quem locum v.g. agnoſcant natalem, quem uſum habeant in Medicina, & ſi quæ plura ad eorum accuratiorem deſcriptionem pertinent. Sed reſtant quædam non noviter experta, exotica tamen, neque ſatis accurate ab Autoribus deſcripta. Sit exempli loco* CORTEX *ſic dictus* WINTERANUS, *cujus hiſtoriam paulo prolixiorem ſub titulo Speciminis Inauguralis tradere haud incongruum erit. DEUM igitur Optimum Maximum ſupplex veneror, velit immenſa ſua gratia & præſentibus & in poſterum ſuſcipiendis laboribus meis ita ex alto benedicere, quo cuncta ex voto ſuccedant! Tibi vero L. B. ſi non omni ex parte ſatisfacere potui; id defectui relationis aut propriæ experientiæ tribuas, certoque perſvaſus ſis, me omnem moturum eſſe lapidem, ut Tibi vel hoc in paſſu vel alio modo impoſterum placeam.*

§. I.

SI quæ inter Peregrina illa pleniorem merentur conſiderationem, certe Vegetabilia ſunt, utpote quorum Deſcriptiones toties variant, quoties novum conſulimus Autorem. Nunc enim de loco natali, nomine, floris, fructus ac foliorum genuino charactere diverſe ſentiunt; nunc alia ſubſtituunt, quæ tantummodo aliquam habent ſimilitudinem, atque ſic decipiunt credulitatis vitio laborantes; nunc tribuunt ipſis vires neutiquam competentes; nunc pro nocivis aut ignavis efficaciora quoque habent, ſi fortaſſis non ſtatim deſideratum oſtenderint effectum,

ctum, ut fere dubii ſimus, cui ſecure fides haberi poſſit. Simili fato CORTICEM WINTERANUM expoſitum fuiſſe, ex ſequentibus apparebit.

§. 2. Ille autem Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Generoſo *Franciſco Dracke* in Americam meridionalem proficiſcente, primum *Wilhelmo Wintero* Præfecto ejusdem navis, qua Dominus *Dracke* vehebatur, innotuit. Hunc enim dum ad fretum Magellanicum usque, quod à *Franciſco Magellano* natione Luſitano Anno 1519 eo deveniente, terramque proxime adjacentem paulo poſt nomine Regis Hiſpaniæ feliciſſimo cum ſucceſſu occupante ſic vocatur, comitari neceſſum habebat *Winterus*, offendit ibi lignum, cujus cortex ob ſaporis & odoris excellentiam ſe ſtatim commendavit. Nec fefellit opinio, ſiquidem ſingulares ejus vires in morbo navigantibus communi, ſcorbuto Medicis dicto, ſatis ſuperque expertus eſt. In Angliam igitur Anno ſequente 1579. cum navim eo reduceret, collectum hujus generis corticem ſecum reportavit, qui hactenus nomine caruit proprio, donec *Carolus Cluſius*, amicorum opera fragmentum illius nactus, ipſum ab Autore *Winteranum* cognominavit, uti ipſe teſtatur *Lib. IV. Exot. Cap. I. pag. 75 & 76.*

§. 3. Et quemadmodum nominatus *Cluſius* tunc temporis ob ignorantiam arboris & reliquarum circumſtantiarum Corticem noſtrum non inconvenienter ab Inventore denominavit, quale quid apud Botanicos his quoque diebus moris

eſt, ut in honorem alicujus eadem vegetabilibus imponant nomina, quæ Autoribus illorum competunt, ubi videlicet nullum reperiunt genus, cui inſeri poſſent commode, quorum innumera fere exempla deprehendimus in *Commelini Opere Botanico:* ita nec diſplicet ea, quæ á Patria deſumta eſt denominatio, quando quibusdam Cortex Magellanicus audit. Angli vocant Winters Cinnamon. Vulgus vero Myropolarum in Germania per errorem appellitat Dicken Zimmt. De alio magis appropriato uſuque recepto nomine germanico non conſtat.

§. 4. Vulgo plures habentur ejus ſpecies à ſe invicem tamen ſæpius ita diſcrepantes, ut & in tenebris error cognoſci queat facile, mirumque videatur, cur rerum naturalium curioſi Indagatores eos tamdiu toleraverint. Vendunt nimirum in Officinis pariter ac Aromatopoliis loco Corticis Winterani genuini, quicquid forte in manus venerit, ſi modo aliquam oſtendat corticis exotici figuram. Mihi enim ipſi obtulerunt ſub hoc nomine corticem ſapore grato ac odore ſvavi præditum, quem alias *Caſcarille ſive Chaquerille* nominant & *Jonſtonius in Hiſt. Nat. Lib. III. pag. 165.* It. Sommerhoff *in Lexico Pharmaceutico-Chym. pag. 83.* deſcribunt. Error fortaſſis exinde enatus eſt, quoniam *Valentino* in ſeiner Natur und Materialien-Kammer / *pag. 253.* monente hoc vocabulum apud Hiſpanos Corticem quemcunque denotat. Alibi Canelam albam ad mentem *Joh. Bauhini Hiſt.*

Plan-

Plantar. Lib. III. p. 19. ſive Coſtum amarum germ. Weiſſen Zimmet / cujus prolixam hiſtoriam in *Wormii Muſ. Lib. I. Sect. 3. Cap. XX.* reperimus, ſubſtituerunt, quanquam hæc omnia manifeſte ab ipſo noſtro Cortice differant, ſi tantum ejusdem characteres infallibiles paulo accuratius conſiderentur.

§. 5. Hæc confuſio originem ſuam debet incertæ ac inſufficienti Autorum relationi, utpote qui in determinanda arbore cortice ſimili veſtita valde dubii fuerunt. *Pluckenet in Phytogr. Tab. 81.* eam ſub titulo Caſſiæ ligneæ Jamaicenſis delineat, & *Petr. Pomet in Hiſt. Gen. Mat. pag. 130. &c.* Canelam albam nominat, verba ex Gallica lingva latinitate donata ſunt ſequentia: *Canella alba, Coſtus albus, Coſtus Corticeus Wintherianus à Winthero, qui primum in Angliam apportavit. Arbor quoad truncum & frondes pirum noſtram æquat. Frondes tenues, altas, rectilineas, foliis plurimis obſitas alit, illis fere ſimilia, quæ Aureola habet, at tenuiora, flexiliora, colore viridc maris adæquantia, odoris exquiſiti. Fructum alit rotundum, eleganter rubrum. Creſcit ſatis copioſe circa Dominicopolin, in Gvadelupia, in locis omnino ſiccis & petroſis: It. in Inſula St. Laurentii aut Madagaſcar, ubi appellatur Fimpi. Ob ſimilitudinem, quæ ipſi intercedit cum Canelle matte ſive Caſſia lignea pauci differentiam poſſent facere inter eos, niſi guſtus & color diſtingveret. Male Pharmacopæi Coſtum ſubſtituunt Coſto Arabico, cui nomen induunt Coſti Indici, quod tamen à veritate recedit, cum Coſtus Indicus ſit radix nobis pene incognita. Eligendus eſt ſubtilis utrin-*

que

que ab albedine ad nigredinem vergens, ſi denudatus primus ſit cortex, qui craſſus eſt, cineritius, aſper, guſtus acrioris & pungentis. Odore & guſtu nucem Moſchatam adæquat &c. Hæ nimirum qualitates ſenſibiles ab ipſo prolixius recenſitæ potius coſto aromatico aut alio cortici competunt. Pro Canela alba habet *Joh. Bauhinus* loco allegato. Speciale nomen in *Transact. Angl. n. 204. pag. 923.* reperitur; vocatur enim Periclymenum rectum foliis lauri, cortice acri aromatico. Eadem fere denominatio placuit *Sam. Dalio*, qui in *Pharmacolog. pag. 422.* Periclymenum odoratum appellat, cujus folia ſunt laurina, flos pentapetalos, albus, odoratus, in ſingulis peticulis bini, terni, quaterni vel plures, baccæ ſubvirides, multis ſeminibus anguloſis uvarum vinaceis ſimilibus refertæ. Sed quo jure hoc factum ſit, non conſtat: cum tamen Periclymenum aliter ab ipſo deſcribatur, neque flores, neque fructus aliquam cum eo habeant convenientiam. Nihil jam de fructus differentia adducam, quem *Pomet* rubrum, hic ſubviridem ſtatuit. Alii cum *Cluſio*, qui ſucceſſu temporis de arboris conditione certior fiebat, & *C. Bauhino in Pin. Theatr. Bot. Lib. XII. Sect. I. pag. 461.* ſentiunt, eamque Laurifoliam Magellanicam vocant, vid. *Jonſtonii Hiſt. Nat. Lib. V. pag. 232.* cujus folia perpetuo virentia è viridi albicantia ſunt. De floribus cum nihil certi determinari poſſit, eos ſilentio præterire oportet. Ad fructum vero quod attinet, probabilius videtur, ad laurum accedere arborem veram,

quæ

quæ Corticem Winteranum præbet, hinc baccas proferre ex gemino nucleo conſtantes, lauri fructibus non diſſimiles. Neque *Pluckenetio* ſubſcribendum puto, qui in *Phytogr. Tab. 81.* ejus fructum racemoſum & quaſi calyculatum inſtar fructuum canelæ depinxit. Arboris Magnitudinem ex Corticis ad nos delati fragmentis judicare poſſumus, quæ de craſſitie & proceritate illius teſtantur. Patriam agnoſcit Terram Magellanicam atque ex omnium conſenſu in Pingvinum Inſula copioſius creſcit. Cur vero Sommerhoff *in Lexico Pharmaceutico-Chymico, pag. 84.* Arabiam nominet, non video.

§. 6. Quicquid ejus ſit, noſtrum jam non eſt, hiſtoriam totius arboris quoad minutiſſima tradere cum præter Corticem nihil his diebus uſui medico inſerviat. Sufficit, nos indicaſſe id, quod veroſimilius videtur ex tot diverſis Autorum ſententiis. Conſultius erit ad Corticem ipſum redire, quem genuinum apud Magnificum Dn. *D. RIVINUM, Pathol ac Botan. PP.* undiquaque Celeberrimum, Patronum, Hoſpitem ac Præceptorem meum plusquam filiali obſervantia ad cineres usque devenerandum inter curioſiora aſſervatum oculis uſurpare, imo deguſtare licuit, ejusque qualitates ſenſibus ſeſe manifeſtantes diligenter examinare, quo conſtet de characteribus eidem propriis. Eſt igitur quoad formam externam craſſus, cannulatus interdum, inæqualis & quaſi rugoſus hinc inde, tuberculis minoribus verrucarum ſpeciem habentibus in-

B ter-

termixtis, ſolidus,poris tamen, ſubſtantia per transverſum diſciſſo, conſpicuis inſtructus, foris integumento cinereo & muſcoſo quibusdam in locis obductus, maculis fuſcis aut quoque albicantibus notatus, triplicis coloris diſſectus apparens: Illa nimirum pars, quæ arborem proxime tangit,magis lignoſa videtur, fibris ſecundum longitudinem ſe extendentibus, tenuis & coloris cinerei: Media quadruplo & ultra craſſior extreme fuſca & quaſi unctuoſa ſeu pingvis eſt. Exterior ratione craſſitiei interiori valde ſimilis, ratione ſubſtantiæ magis corticalis eſt, coloris fere albi: non vero ſcaber,aut rimis multis hians, aut pallidus, uti *Jonſtonius in Hiſt. Natur. & Dalius in Pharmacolog. loc. ſup. cit.* tradunt.

§ 7. Eundem odore fragrantiſſimo præditum eſſe affirmant uno ore omnes, ſed quali ſimilis ſit, nemo determinavit. Et ſane difficillime dijudicantur odores, ſiquidem non omnibus arridet, quod ſvavem de ſe ſpirat odorem,ac ſæpius pro fœtido habetur. E contra placent quibusdam ingrata & fœtentia, ac ſi ſvaveolentia eſſent. Interim graveolentia,quippe quæ medio ſe habent modo,huic fato non adeo obnoxia ſunt, magisque tolerantur;ad quorum claſſem præſens etiam Cortex pertinet,qui inter aromata primum meretur locum ob odoris excellentiam non nauſeoſam aut ſvavem, ſed gratam ac efficacem. Et ſi dicendum, qualis odor mihi videatur, eum cum cardamomis contuſis ex parte convenire aſſerere vellem.

§. 8.

§. 8. Longe felicior eſt hoc in paſſu guſtus, ope cujus magis accurate in particularum intrinſecarum qualitatem inquirere licet, quando dentibus comminuuntur concreta duriora, & accedente ſaliva emolliuntur. Pronunciatur autem ſæpe nominatus Cortex jure meritoque acris ſapore, absque ullo fere amaroris veſtigio, ad piper, cochleariam (ſicuti quidam exiſtimant) vel potius ad armoraciam accedente, brevique temporis ſpatio iterum evaneſcente. Ii vero quam maxime errant, qui vel remiſsiorem acrimoniam vel amaritiem ſimul ipſi tribuunt, ſi quidem illud de Canela Cubana, hoc de Canela alba intelligi debet, eoque ipſo liquet, quamobrem hæc omnia promiſcue vendantur.

§. 9. Cum itaque adeo ſapidus & odoratus deprehendatur Cortex noſter, non immerito de illius viribus ſumus ſolliciti. Has egregie Antiſcorbuticas experti ſunt Nautæ, præeunte *Wilhelmo Wintero*, qui in eodem itinere ob aquæ dulcis defectum & copiam ciborum ſale conditorum ſcorbuto fere lethali affligebantur, ejusdemque Corticis ſolo uſu à præſenti malo ſe liberarunt & ab imminente præſervarunt. Atque hoc inprimis nomine apud Anglos celebris eſt, imo omnes, qui illum norunt, Autores hoc in paſſu conſentiunt, e. gr. *Jonſtonius in Hiſtor. Nat. & Dalius in Pharmacolog. l. a. Dolæus in Encyclop. Med. Dogmat. pag. 295. b. &c.*

§. 10. Sed qualem inter Antiſcorbutica occupet locum, nunc videndum. Sunt certe innumera ejus-

modi remedia partim indigena, partim peregrina in promptu, quibus ſcorbutum ſanitatis infenſiſſimum hoſtem profligare ſolemus, eaque ob particularum conſtitutivarum diverſitatem adeo diverſimode operantur, ut mirum videatur, quo jure hæc vel illa Antiſcorbuticis accenſeantur. Diſtiguuntur eadem non inconvenienter in Temperata atque Acriora. Ad temperata pertinent ea, quæ vel pene inſipida vel dulcia exiſtunt, uti radices *ſarſæparillæ, chinæ, altheæ, bardanæ, glycyrrhizæ, polypodii &c.* herbæ ac flores *aqailegiæ, bellidis hortenſis, liliorum alborum, hepaticæ nobilis, matriſylvæ, ficariæ, portulacæ; ſummitates & nuclei pini, paſſulæ, ſebeſten, jujubæ, tamarindi; gummi tragacanthæ, ſuccus betulæ &c.* Ex regno minerali proſtant *martialia*, efficaciſſima ſane remedia, vid. *Mœbii Fund. Med. Phyſ. pag. 162.* it. *lapidoſa, terræque pingves* omnis generis. Animale regnum ſuppeditat *oſſa & cornua*, it. *oſtracoderma*, quæ vel cruda vel uſta in uſum vocantur. Addo & *aquea* diluentia, modo ex ſupra nominatis vegetabilibus affuſa aqua paranda, modo a natura provida matre jam compoſita ac ſub *thermarum* aut *acidularum* nomine uſitata. Neque prohibitum eſt, reliqua pulveriſando aliisve modis præparando ad commodiorem aſſumtionem diſponere, prout ejusdem generis medicamenta Catalogus Officinarum innumera ſuggerit. Horum omnium virtus in ſe ſpectata remiſſior eſt, adeoque longiùs operandi ſpatium requiritur, eaque ſaltim in leviori morbo locum inveniunt.

veniunt. Operantur autem illa vegetabilia minus ſapida partim temperando & quaſi obtundendo humorum ſalſorum acrimoniam : partim diluendo eam ſimul cum viſcido ſæpius in ſcorbuto concurrente, ſi in decoctis aut pro iis thermæ & acidulæ adhibeantur: partim exturbando per alvum, ſi biliosum præprimis ſubjectum acidulis utatur: partim abſorbendo acidum primarum viarum & edulcando humores, quod præ reliquis martialia, lapidoſa, terræ pingues ac partes ab animalibus deſumtæ agere ſolent. Eos enim, quos ſcorbutus vexat, nunc de bilis acrimonia, nunc de acidi, ſalſi aut pituitæ præſentia conqueri, tota obſervamus die, quanquam ſucceſſu temporis, utplurimum concurrant omnis generis humores pravi jam nominati, itaque de potentioribus cogitandum erit.

§. 11. Nec deſunt efficaciora in malo inveterato valde proficua, quæ alteram Antiſcorbuticorum remediorum claſſem conſtituunt, nobisque ſub acrium nomine veniunt. Hæc ſpeciatim iterum gradu differunt: Sunt nimirum quædem amara ſimul e. gr. radices *acori, helenij, Zedoariæ:* herbæ & flores *cichorei, ſalviæ, trifolij fibrini, ſcolopendrij, centaurij minoris, cardui benedicti, chamædryos, fumariæ &c.* Conſiſtunt autem illorum vires in eo, ut acidum primarum viarum corrigant, & ab ulteriori aceſcentia præſervent.

§. 12. Iis porro annumerantur acida, v. g. *acetoſa & acetoſella, ſuccus citri & aurantiorum, ſpiritus nitri,*

ſalis, vitrioli, ſulphuris &c. utpote quæ bilem nunc acriorem nunc viſcidiorem per modum præcipitationis ad exitum diſponunt, eamque è corpore exturbant: Æſtus enim internus, qui vel præcedit, vel concomitatur ſcorbutum, ope horum remediorum facile extingvitur, atque ſic ſublata cauſa tollitur effectus.

§. 13. Præſtantiſſima denique ſunt proprie ſic dicta acria, quibus utimur in morbo pertinaci. Huc ſpectant radices *ari*, *armoraciæ*, *gentianæ*, *raphani ruſtic.* vid. *Th. Bartholini Acta Hafſn. An. IV. p. 130. & ſaſſafras: Herbæ ſedi minoris, piperitidis, cochleariæ, naſturtii hortenſis, paluſtris & Indici, lignum gvajacum, ſpiritus cochleariæ, eſſentia lignorum, tinctura tartari acris*, & qui omnibus palmam præripit, *Cortex Winteranus.* Nam reliqua vegetabilia non niſi recentia aut affuſo ſpiritu vel aqua (unde aquæ ſceletyrbicæ fieri ſolent) præparata adhibere poſſumus, cum per deſiccationem penitus ignava reddantur, diſſipatis eorum particulis volatilibus: hic vero Cortex, licet aridus ad nos deferatur, virtutem ſuam nihilominus retinet, & ad plures quoque annos ſine notabili virium decremento aſſervatur; ut taceam minorem ejus doſin plus efficere, quam reliquorum ſapore tali deſtitutorum duplum vel triplum.

§. 14. Quid ergo valet talis acrimonia? Reſpondeo: habet vim commovendi ſangvinem ac ſerum, & quidem nunc ad ſudorem, nunc ad urinæ ſecretionem diſponendi, quo una cum ſero copia ſalium è corpore eliminetur. Præterea ſi fortaſſis ſeminium verminoſum concurrit, quod utplurimum metuendum ac navigantibus maxime infenſum eſt, quando ſub linea æquinoctiali verſantur, ubi propter æſtum radiorum ſolarium plane exceſſivum omnia vermibus ſcatent, illud nunc per cutis poros expellendo fugat aut quoque enecat, quod tunc per vias

excre-

excretionibus deſtinatas ejicitur, quo ipſo Maſſa Sangvinea ab ejusmodi nociva progenie liberatur. Illud autem volatile, quod pleraque jam allegata acria Antiſcorbutica poſſident, neutiquam convenit cum ſalibus reliquis volatilibus urinoſis, ex animali regno deſumtis, quorum proprietas eſt, turbare colorem ſyrupi violarum & in viridem mutare. Tale quid non contingit ab horum ſale volatili, quod tamen ſequeretur, ſi aliquid urinoſi admixtum eſſet. Experimentum hoc optime *radicis armoraciæ* ſucco tanquam minus colorato ſuccedit: reliquæ magis viridem præbent ſuccum, atque facile decipere ſolent ſimile quid molientes. Si quis vero *cochleariæ, naſturtii &c.* aquas deſtillatas adhibere velit, quæ remoto colore nihilominus ſaporem ſpecificum ſervant præſertim cohobatæ, nullum alium obſervabit effectum, ut adeo ſal iſtud volatile pro falſo tantum haberi debeat. Imo aceſcentiæ reſiſtunt dicta acria hoc nomine, quod ipſum exemplo muſti conſtat, quando ſemine erucæ ac ſinapeos ejus dulcedo per longum tempus ſervatur absque ullo fermentationis metu.

§. 15. Idem ſentiendum exiſtimo de Cortice Magellanico, qui copioſum hujusmodi ſal volatile continet, eoque ipſo ſatis potens eſt in promovenda diaphoreſi & diureſi: nil dicam de virtute acidum corrigendi & ab illius generatione præcavendi. Quid igitur impedit? quo minus eum non tantum in ſcorbuto & reliquis ipſi cognatis morbis, ſtomacace (ubi ſola maſticatio præprimis recentis corticis ſufficit) arthritide ſcorbutica cum *Möllenbrockio in Tr. de Arthrit. vag. ſcorbut. Cap. 13. p. 24.* paralyſi ſcorbutica, præeunte *Williſio P. II. d. A. Br. c. 9. p. 400.* lue venerea, lepra, ſcabie, cruſta lactea infantum & tinea, varis, gutta roſacea, herpete &c. tanquam euporiſton commendemus; ſed quoque ob inſignes reſolvendi (non vero, uti communiter ſtatuunt, incidendi) vires

vires in obſtructionibus contumacioribus hepatis, lienis ac menſium, in defectu fluxus lochiorum (notetur, ſi puerpera lacte non indigeat) & omnibus affectibus vulgo ſic dictis frigidis, ſive rectius à pituita oriundis, optimo cum ſucceſſu adhibeamus. Irritantur nimirum fibræ ab acrimonia laudati Corticis vellicante, atque ad contractionem diſponuntur, ope cujus materia obſtruens à ſpiritibus & ſero copioſius affluentibus antea mobilis facta propellitur, ac ad vias excretorias deducitur. Præterea pro more aromatum vi ſtomachica, carminativa & aphrodiſiaca præditus eſt, quare in ventriculi imbecillitate, colica paſſione à refrigerio flatuumque copia oborta, impotentia virili mulierumque ſterilitate, natura exiſtente langvida, non ſine fructu datur.

§. 16. Reſtat, ut modum præparandi Corticem noſtrum annectam, quo vel commodius aſſumi, vel in minima quantitate pro ratione morbi aut ægri deſideratum præſtare effectum poſſit. Simpliciſſima methodo Infuſum ejus paratur, ex drachmis duabus corticis minutim inciſi & aquæ ferventis libra una; hujus ope brevi temporis ſpatio extrahitur ſpecificus ſapor, odor & color non ingratus. Exhiberi poteſt tepide mane & circa veſperam ad uncias quatuor. Nec abſonum foret, ſi decoctis lignorum ſub finem decoctionis adjiceretur, (coqui enim non debet, alias omnis perit virtus); aut Infuſi acrimonia pro delicatioribus radice glyzyrrhizæ, paſſulis ſimilibusque dulcibus temperaretur. Ditioribus aut ſenibus quoque, qui propter imbecillitatem ſtomachi aquam abhorrent, Infuſum cum vino commendo, quod tali modo fit:

℞. *Cort. Wint. inciſ. unc. duas*
Vini Rhen. libr. ſem.

Stet per noctem in loco mediocriter calido, detur quotidie bis, ſingulis vicibus unc. duæ. Infunditur porro in ſpiritum vini rectific. ac exinde Tinctura rubicundiſſima

elicitur

elicitur annotante *Heidio Obſ.*77. Mihi idem tentanti ſequens proportio Tincturam ſeu potius Eſſentiam extreme fuſcam præbuit:

℞. *Cort. Wint. unc un.*
Spir. vin. rectificatisſ. unc. 4.

Expoſui per 6. dies digeſtioni, & poſtmodum impetravi eſſentiam dictam odoris non ingrati & ſaporis penetrantis; Doſis erit ℨj. ſ. gt LX. pro lubitu crebrius iteranda.

§. 17. Neque fruſtranea eſt deſtillatio è cucurbita per alembicum aqua ſimplici inſtituta: nam præter aquam, quæ maxime ſapida prodit, oleum acquirimus ad Elæoſacharum conficiendum, quod vim carminativam ſuperius indigitatam poſſidet, aut admiſcendum pulveribus ſaporis gratia, it. balſamis ſtomachicis ac emplaſtris carminativis. Optime ſuccedit operatio, ſi tali modo procedamus:

℞. *Cort. Wint. libr. ij.*
Aquæ ſimpl. Menſ. xij.

deſtilletur l. a. præmiſſa maceratione legitima. Aqua ab oleo liberata ſtomacace laborantibus exhiberi poteſt ad os eluendum.

§. 18. Quæ cum 🜄 inſtituitur deſtillatio, nullum habet finem, quam ut Reſinam in forma ſicca impetremus. Hinc neceſſe eſt, ut digeſtio præcedat per aliquot dies continuata, quo emolliri & extrahi queant intus latitantes particulæ reſinoſæ: tunc eadem ratione deſtillatur, usque dum ſpiritus à phlegmate ſeparatus fuerit: ſic enim ſponte fundum petit reſina, quæ decantato phlegmate ſiccari poteſt. Continet ergo libra una Corticis Reſinæ unciam unam ſemis, quæ nihilominus de urente ejus ſapore participat, ideoque pulveribus adjicitur commode, aut exinde Pilulæ formantur in minore quantitate efficaces.

§. 19. An Sal volatile in forma ſicca haberi queat ſimiliter tentavi, inſtituens deſtillationem ex retorta vitrea, igne nudo absque additione cujusdam liquidi, probe clau-

ſis junčturis. Verum ne veſtigium quidem ejus conſpicere licuit, etſi recipiens ſat capax eſſet in reſpectu ad retortam. Olei tamen empyrevmatici ac inſigniter fœtentis drachmas duas & phlegmatis aciduli illius fere ſaporis, qui phlegmati oleo ſuccini admixto proprius eſt, ℥ ß. ex unciis ȝ. Corticis minutim inciſi elicui. Cujus olei uſum non inconvenientem puto in epilepſia aut paſſione hyſterica, ubi fœtentia locum inveniunt, partim naribus admovendum, partim cum ſpiritu quodam volatili combinatum intus propinandum: ſiquidem procul dubio idem efficiet, quod *ol. C. C. ebor. ſuccini* &c. tali in paſſu valent, excitando ſpiritus, partes præternaturam agitantes, aut quoque torpidos & retrocedentes.

§. 20. Quomodo tandem Cortex noſter navigantibus loco condimenti inſervire potuerit, ex allegatis Autoribus liquet. Recentem nimirum, quo acrimonia ejus pauliſper occultaretur, melle condierunt: ſiccatum vero in pulverem redegerunt, eoque pro cinnamomo, pipere aliisque aromatibus in cibis uſi ſunt. Aſt hæc tanquam à foro medico aliena ulterius proſequi non videtur congruum; itaque finem impono Specimini meo Inaugurali, ac DEO Omnipotenti humillimas perſolvo grates pro benigne conceſſis viribus ad ſtudia ſub Illius auſpicio cœpta felici cum ſucceſſu finienda maxime neceſſariis, Ejusque opem in futuris conatibus iterum iterumque imploro. L. B. interim obnixe rogito, velit non niſi mea mente probe perſpecta judicare, erroresque commiſſos humanitatis calamo corrigere.

TANTUM.

ADDI-

ADDITAMENTA.

I.

IN abundantia bilis Amara, Spirituoſa & Volatilia plus nocent, quam proſunt.

II.

Pituitæ cauſam non frigus, ſed æſtum ſtatuo.

III.

Non dantur remedia pituitam incidentia.

IV.

Vomitoria in Catarrho Suffocativo

tivo etiam repetita optimo cum ſucceſſu exhibentur.

V.

Martialia ſunt Anthelmintica.

IV.

Martialia habent vim anodynam.

F I N I S.